DE PROSTHESI ET APHAERESI

E GLOSSARIIS LATINIS ILLVSTRANDIS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

LEO SOMMER

ISENACENSIS

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCM

Genehmigt von der philosophischen Facultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

Jena, den 2. März 1900.

Professor Dr. **Pierstorff**
z. Z. Dekan.

MATRI · MEAE

SACRVM

§ 1. Quicunque in auctoribus veteribus latinis interpretandis et corrigendis versatur, eum fugere non potest non semel in codicibus consonantibus litteris *sp st sc* vocalem quandam modo *i* modo *e* praepositam inveniri, quod ubi accidit prosthesin fieri dicimus. Neque tamen minus saepe evenire constat, ut eadem vocalis ante easdem consonantes, quamvis ad solidum, ut ita dicam, vocabuli corpus pertineat, detrahatur: quam rem aphaeresin grammatici dicere consueverunt. Itaque, ut exempla ponam, inveniuntur formae *iscenici, istipites, ispretus* pro *scenici, stipites, spretus* et *escumaria, espes, estomacatur* pro *scumaria, spes, stomacatur.* Similiter autem formae *Spania, storia* pro [*H*]*ispania,* [*h*]*istoria* similesque non rarae sunt.

Quae res iam dudum a viris doctis notata atque tractata est, velut a Lachmanno in commentario ad Lucretium p. 231 et 232, qui satis multa testimonia e codicibus exhibuit: v. 283 libr. IV Lucret. *inspeculum* pro *speculum,* Plaut. Merc. v. 547 *inspatio* pro *spatio,* Cic. in Tusc. II 36 *instudio* pro *studio,* Cic. de fin. III 56 *histoicis* pro *stoicis,* Verg. Aen. (Mediceo) XII 796 *istruis* pro *struis.* Etiam aphaeresis Lachmannus exempla attulit: schol. Bobiens. in orationem pro Sulla p. 368, 21 *strumentum* pro *instrumentum,* Varr. de lingua lat. VII 351 *scribitur* pro *inscribitur,* alia. Praeter Lachmannum alii quoque viri docti e codicibus et inscriptionibus exempla collegerunt, ut Vahlen in Mus. Rhen. XI p. 589, Corssen 'Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung der lat. Sprache' II² p. 286 sq., Schmitz 'Beiträge zur lat. Sprache und Litteraturkunde' p. 63sq.

et p. 87 in adnot., Seelmann 'Die Aussprache des Latein' p. 316 sq., Roensch 'Itala und Vulgata' p. 467. Maximam autem partem congessit Schuchardt 'Der Vokalismus des Vulgärlateins' II p. 337—384, III 271—281, atque non paucae formae, quas infra e glossis excerpam, iam a Schuchardto prolatae sunt. Idem vir doctus quomodo prosthesis et aphaeresis sint explicandae diligenter tractavit. Itaque in hoc libello saepius ad illum confugere opus erit. Quas formas postquam tam multis codicum et inscriptionum testimoniis non meros esse errores librariorum veri simile factum est, etiam grammatici in hanc rem animum converterunt, ut Brugmann 'Grundriss[2]' p. 825, Stolz 'Historische Grammatik der lat. Sprache' in paragr. 192 et 193, Lindsay 'Die lat. Sprache' in paragr. 123, alii.

Sed philologi cum tales formas, etsi non per errorem librarii effectae essent, tamen sermonis plebei esse neque in textu poni posse sibi persuaderent, non est mirum, quod illas accuratius tractare non tam ad se pertinere quam ad viros linguarum romanensium quas dicimus peritos putabant. Atque re vera philologi romanenses has quaestiones studiose inquirere aggressi sunt. Nam ut scripturis codicum et inscriptionum nixi tales formas sermonis plebei fuisse illi cognoverant, ita hi romanensium linguarum varias formas conferentes non potuerunt non censere iam in antiquiore sermone plebis romanae vocabulis, quae a duabus consonantibus incipiunt, ut *sc sp st,* vocalem quandam praeponi coeptam esse. Quod cum ita esset, etiam formas illas in codicibus inventas eodem spectare facile perspexerunt.

Atque iam Diez grammat. ling. romanens. p. 198 hanc quaestionem in disputationem deduxit ac prosthesin et aphaeresin in antiquiore sermone extitisse affirmavit; quae hoc tempore est sententia, quod quidem sciam, omnium virorum doctorum. Etiam in libro notissimo a Groebero edito, qui inscribitur 'Grundriss der rom. Philologie', viri docti, quotienscunque de singulis linguis romanensibus tractant, de illa quoque prosthesi et aphaeresi agunt.

Permulta exempla et prosthesis et aphaeresis etiam in latinis glossariis nuper editis extant; quibus testimoniis adscitis totam quaestionem mihi liceat retractare atque denuo examinare. Atque primum quidem ipsa enumerabo exempla: quae quomodo explicanda sint, postea tractabo.

§ 2. In singulis exemplis enumerandis non neglegendum est, utrum verbum aliquod in lemmate an in interpretamento extet, utrum aliud vocabulum praecedat necne; denique si praecedat, idne consonanti an vocali terminetur. Ad quas res significandas usus sum signis hisce: ea vocabula, quae in lemmatis extant, pinguibus et cursivis, quae in interpretamentis inveniuntur, cursivis litteris exprimenda curavi. Crucem praefixi iis, quibus vocabulum vocali terminatum antecedit, stellulam, quibus vocabulum consonanti finitum praemittitur. Verbo autem antecedente nullo signum non adieci. Qua in re adnotandum est vocabulum cum esset primum in interpretamento ita, ut nihil nisi lemma praeiret, me ita tractasse quasi nihil praecederet; sed cum vocabulum in interpretamento verbo aliquo praecedente scriptum esset, etsi non in continua oratione, idem signum me adiecisse quod iis, quibus verbum aliquod antecedit. Quod ut exemplo demonstrem, in corp. gloss. lat. IV 38, 26 legitur in interpretamento *everto expulio.* Certe haec non est oratio continua atque dubitari posse concedendum est, quod ad genus hoc sit referendum.

a) vocalis *i* praeposita est consonantibus *sc*

iscaria	pro	*scaria* III 546, 28
iscenici	„	*scenici* V 208, 15
isceptra	„	*sceptra* V 213, 26
iscenovatis[1])	„	*schoenobates* V 213, 25
isciscitari	„	*sciscitari* V 213, 29
ischinifes	„	*scnifes* (= σκνῖφες) V 213, 28

1) vocabula graeca, ut semel dicam, quae latinis interposita sunt, eodem modo tractavi: quae cur omitterem non esse putavi.

ischifus	pro	*scifus* (= σκύφος) V 213, 27
hiscinditur[1])	„	*scinditur* V 208, 10
**iscribendo*	„	*scribendo* V 70, 23
†*iscorta*	„	*scorta* V 477, 41
iscropion	„	*scorpion* III 566, 5; cf. V 205, 2 (**iscorpionum*); III 566, 10 (***iscorpion***)
iscolopendria	„	*scolopendria* III 566, 7
†*iscurronem*	„	*scurronem* V 243, 28
iscurrilitas	„	*scurrilitas* V 213, 30
†*isculpta*	„	*sculpta* V 76, 7

b) vocalis *i* praeposita est consonantibus *sp*

isparagos	pro	*sparagus* III 565, 73; cf. III 565, 72 (***isparagos***)
ispagnus	„	*spagnus* III 565, 62
**isparto*	„	*sparto* IV 47, 20
ispecioso	„	*specioso* V 145, 6
**ispretis*	„	*spretis* V 479, 40
isplenion	„	*splenion* III 566, 6
ispeculator	„	*speculator* V 213, 31; 213, 33
ispelunca	„	*spelunca* V 213, 34
ispiris	„	*spiris* V 213, 37
ispiraculum	„	*spiraculum* (in uno libro) V 206, 32
**ispolia*	„	*spolia* (in libro a) IV 364, 1
ispicano[2])	„	*spica* V 244, 28
**ispicas*	„	*spicas* V 245, 18
hispurius	„	*spurius* IV 87, 24
**ispumis*	„	*spumis* V 166, 14
isfagis	„	*sfagis* (= σφαγαί) III 209, 15

---

1) In codicibus *hiscinditur* explicatur verbo *dividitur;* itaque cum cogitari etiam possit *hiscitur* subesse, hoc verbum num sit prosthesis exemplum, dubium est.

2) In codicibus *siliqua siluca* explicantur verbo *ispicano,* cui sine dubio nescio quomodo *spica* subest.

c) vocalis *i* praeposita est consonantibus *st*

* *istagnensis*	pro *stagnensis* (in uno libro) V 203, 23
istragula	„ *stragula* V 78, 16
† *istavit*	„ *stabit* V 77, 3
* *istabilitate*	„ *stabilitate* V 483, 44
istagnus	„ *stagnus* V 226, 10
istrenuus	„ *strenuus* V 205, 39
istega	„ *stega* V 571, 26
isteptirias	„ *stiptirias* (= *στυπτηρία*) III 539, 65; cf. III 565, 53 (***istiptirias***); III 547, 19 (***istiptiria***); III 565, 54 (***istipteria***)
isteatus	„ *steatus* (= *στέαρ*) III 583, 52
* *istirpis*	„ *stirpis* V 169, 5
isticarin	„ *sticarin* (= *στιχάριον*) II 563, 31
istipem	„ *stipem* V 213, 40; 213, 41
istipendium	„ *stipendium* V 213, 43 (cf. 42)
istromateas	„ *stromateas* V 213, 45; 504, 59; 523, 10; cf. V 213, 44 (***istromatis***); 523, 12 (***istiomates***)
istoma	„ *stoma* II 563, 29
istrofus	„ *strofosus* (in libro a) IV 393, 51
historia	„ *storia* IV 490, 4; 594, 48; V 592, 10; 632, 50
istichus	„ *stichus* (= *στίχους*) III 122, 15
istrignos	„ *strignos* (= *στρύχνος*) III 539, 69; cf. III 632, 29 (***istrigno***); III 583, 46 (***itrignus***); III 565, 56; 547, 18 (***istrignus***); III 565, 66 (***istricinon***); III 547, 5 (***istringus***)
* *istridere*	„ *stridere* V 100, 11; cf. V 100, 11 (* ***istrido***)
istricta	„ *stricta* V 205, 24

d) vocalis *i* praeposita est consonantibus *sm*

hismirnion pro *smirnion* (= *σμυρνίου*) III 612, 59; cf. III 624, 76 (***hicmirnion***); III 629, 24 (***simsimon***); III 591, 30 (***hismirnis***); III 591, 49 et 613, 4 (***ismirnus***); III 625, 21; 546, 76; 565, 52 (***ismirnis***); III 591, 35; 547, 8; 632, 25; 625, 6 (***ismirnion***); III 583, 43 (***ismirnos***); III 612, 62 (***isminion***)

e) vocalis *i* praeposita est consonantibus *sq*

* *isquamosus* pro *squamosus* V 151, 53; cf. V 151, 53 († *isquammosus*)

isqualidus „ *squalidus* V 213, 39; cf. V 213, 38 (***isqualida***).

Nunc deinceps vocabula enumerabo, quibus vocalis *e* praeposita est.

a) vocalis *e* praeposita est consonantibus *sc*

escolimus pro *scolymus* III 561, 34
escelerata „ *scelerata* III 545, 61
† *escumaria* „ *scumaria* III 613, 31
* *escaturrit* „ *scaturrit* IV 342, 25
* *escanduntur* „ *scanduntur* (in uno libro) V 242, 29

b) vocalis *e* praeposita est consonantibus *sp*

espuo pro *spuo* V 194, 51; cf. ***espes*** pro *spuis* V 194, 50
* *espersis* „ *sparsis* IV 373, 36
espernit „ *spernit* (in libr. a c) IV 330, 23
espio „ *spio* V 499, 4
† ***espes*** „ *spes* IV 91, 37 (in libr. c)
esparagos „ *sparagus* III 561, 22

c) vocalis *e* praeposita est consonantibus *st*

†*estans* pro *stans* (in libr. a c) IV 334, 19
estacte „ *stacte* III 611, 24
estemata „ *stemmata* IV 456, 32
****estipatus*** „ *stipatus* IV 501, 15
estella „ *stella* (in libr. a) IV 488, 13

d) vocalis *e* praeposita est consonanti *x*

exsifion pro *xifion* III 561, 44; cf. III 550, 37 (*exsifio*); III 561, 44 (***exsiphea***)
exenodicum* „ *xenodochium* V 328, 48; cf. V 388, 4 (exenodocium*); V 359, 49 (***exenodocium***)
exhilobalsami „ *xylobalsami* III 560, 51.

Pergo ad vocabula, quibus syllaba *in* praeposita est.

a) syllaba *in* praeposita est consonantibus *sc*

**inscribit* pro *scribit* IV 168, 27
inscius „ *scius* IV 81, 29; V 458, 37
**insciens* „ *sciens* V 72, 8

b) syllaba *in* praeposita est consonantibus *sp*

†*inspectabiles* pro *spectabiles* V 149, 33
inspecularia „ *specularia* IV 414, 2
inspuri „ *spurii* V 365, 16
**inspuit* „ *spuit* IV 414, 7

c) syllaba *in* praeposita est consonantibus *st*

instragula pro *stragula* V 28, 31 = 78, 16
instrages „ *strages* II 443, 12
instriata „ *striata* III 78, 10; cf. V 461, 19; 504, 37 (***instriata***)
instructa „ *structa* IV 366, 45

instructus[1]) pro *strictus* vel *destrictus* IV 170, 20
instultus „ *stultus* II 583, 10; cf. II 393, 54 (*instultus*)
* *instructores* „ *structores* V 260, 43; 343, 53
instruem „ *struem* IV 356, 17; cf. IV 383, 6; 387, 31; V 578, 1; 480, 29; IV 595, 14 (*instruem*); IV 563, 15 (*instrue*).

Denique multa sunt in glossariis verba, quibus syllaba *ex* praeposita est. In his autem vocabulis cum praepositione *ex* compositis utrum vocalis quam appellamus prosthetica an re vera praepositio *ex* subsit, haud raro difficile est certe diiudicare. Nam saepe praepositione *ex* cum nomine quodam aut verbo coniuncta vocabuli vis augetur. Stolz (historische Gram. der lat. Spr. I p. 402) e veteribus auctoribus nonnulla exempla attulit. Etiam in glossariis non pauca extant huius usus testimonia. Sic grammaticus nescio quis ad praepositionem *ex* adnotat (V 195, 23): *interdum pro valde ponitur sicut excelsus pro valde celsus, sicut eximius quasi valde eminens.* Atque *eiurare* explicatur *valde iurare* V 641, 10, *excaecavit* verbis *obtenebravit aut valde caecavit: ex enim pro valde ponitur* V 195, 29, alia. Itaque etiam in nonnullis glossis facile dubitari potest, quomodo syllaba *ex* intellegenda sit.

a) syllaba *ex* praeposita est consonantibus *sc*

* *excaelus* pro *scelus* IV 343, 19
excelestus „ *scelestus* III 179, 35 (nisi *ex* est *valde*)
† *excidiam* „ *schediam* V 210, 21
excolopandria „ *scolopendria* V 619, 11

b) syllaba *ex* praeposita est consonantibus *sp*

expectaculum pro *spectaculum* III 75, 48; cf. V 82, 5 (h. e. Placidus libri glossarum) = 114, 27 († *exspectaculo*) IV 371,

---

1) sic interpretatus est Heraeus (Arch. X p. 520) glossam *severus instructus vel inremissus,* cf. IV 283, 43 *severus modestus distrectus* (= districtus).

46 (†*expectacularum*); IV 183, 45 (*expectacula*); II 532, 20 (***expectaculum***)

expecto[1]	pro	*specto* IV 118, 11
expectata[2]	„	*spectata* V 293, 6
†*expectabilis*	„	*spectabiles* V 98, 15
exponsalia	„	*sponsalia* II 284, 40
**exparsit*	„	*sparsit* V 231, 17; cf. IV 547, 27 (**exparsis* pro *sparsis*)
expurcus	„	*spurcus* V 531, 32
explen, explenis	„	*splen, splenis* V 619, 17
exsplendor	„	*splendor* (in libr. a) IV 125, 15; cf. V 112, 6 (**exsplendoris*)
explendit	„	*splendet* (nisi *ex* est *valde*) V 458, 3; cf. V 501, 58 (*expendit*); IV 262, 5 (in cod. a b **exsplendens*)
expolia	„	*spolia* IV 113, 18
†*expulio*	„	*spolio* IV 38, 26; cf. IV 576, 58 (*expuliat*) V 127, 33 (†*expoliantur*)

c) syllaba *ex* praeposita est consonantibus *st*

extate	pro	*stacte* (h. e. στακτή) III 589, 62 = 623, 25 (***extacte***)
†*extolida*	„	*stolida* IV 67, 48 (nisi *ex* est = *valde stolida*)
extomacatur	„	*stomacatur* V 218, 31

1) vocabulum *miror* explicatur *expecto*, quod est fortasse *specto*. Rossberg (Arch. IV p. 48) in Dracontii libris non semel nomen compositum *exspectare* idem significare atque nomen simplex *spectare* exposuit. Tamen cum Dracontii temporibus sine dubio *spectare* et *exspectare* in pronuntiando nihil differrent, certe diiudicari non potest, utrum illis exemplis re vera vocalis prosthetica subsit an praepositio *ex* tunc vim perdiderit, ut *exspectare* et *spectare* idem valerent.

2) in codicibus enim *expectata* explicatur verbo *probata*, qua ex explicatione *expectata* pro *spectata* scriptum satis probabili coniectura statuemus.

Non solum in initio sed etiam medio in vocabulo vocalis *i* *s* impuro aliquoties praeposita esse videtur. Cuius rei iam Schuchardt (II p. 346, 347, 349) exempla attulit haec: *solistitiales* Darmst. Censor. 76, 14; *circuminstetit* Pal. Aen. II 559; *adistas* Non. 358, a, 2; *inistituis* Vat. Cic. Phil. II 1260, 16; *inispectantibus* ib. 1267, 31; *iniscientes* ib. 1268, 10; *perispectia* ib. 1270, 3; *adiscribi* ib. 1271, 8 Or.². Etiam in glossariis insunt tales formae:

interistitio	pro	*interstitio* V 219, 1
existantes	„	*extantes* IV 131, 34
existat	„	*extat* IV 62, 29
peristat	„	*perstat* IV 457, 41
solistitialis	„	*solstitialis* III 293, 5
solistidium	„	*solstitium* IV 173, 16; cf. IV 568, 53 (***solisticium***); V 151, 16 (***solistituum***); III 294, 47; 294, 48; 426, 7; V 215, 5 (*solistitium*)

fortasse etiam hae scripturae non ex erroribus librariorum manaverunt, sed alio modo sunt explicandae: ut solebant *istare* pro *stare* dicere, *per-istat* quoque formabant, sive quod illud verbum vocabulo *istare* et praepositione *per* compositum esse etsi inscii meminerant, sive quod in pronuntiandis litteris *rst* difficultatem quandam sentiebant, quam ut tollerent vocalem *i* interponebant. Simile exemplum extat in codice A Catonis de agricultura libri, ubi in cap. CIV, 6 *solistitium* pro *solstitium* scriptum est [1]). In Plauti Trin. v. 151 cod. B exhibet *circumispice* pro *circumspice*. Codex P. in Livii libr. XXX 26, 20 (ed. Luchs) praebet *inestaurati* pro *instaurati*.

§ 3. Ut ex exemplis prosthesis supra enumeratis cognoscitur, praeponitur *i* vel *e* vel *in* vel *ex*. Quodsi syllaba *in* vocabulo praeponitur, haec prosthesis re vera non differt ab ea,

---

1) Etiam in schol. Bern. ad Lucan. 8, 852 *solistitiale* scriptum est. Alia huius scripturae exempla Baiter in Cic. de nat. deor. III 14, 37 indicavit. Apud Plautum bis forma *solstitialis* legitur libris consentientibus: Pseud. 38 et Trin. 544.

quae vocali *i* effecta est, cum in sermone plebeio praepositionem *in* ante vocabulum a *s* et altera consonanti incipiens pronuntiatione prope ad *i* accessisse *n* consonanti corrupta constet; cf. Schuchardt II p. 350 et Corssen I p. 251. Qua re librarios in scribendo facillime vocalem *i* et praepositionem *in* confundere potuerunt. Etiam error potuit impellere librarios, ut *n* adicerent *in* negativum postulari arbitrati. — Nec magis mirandum est, quod saepissime *ex* pro *es* scriptum est; nam haud raro in veteribus codicibus et in inscriptionibus *x* pro *s* et *s* pro *x* positum est (cf. Schuchardt II p. 350 sq. et Corssen I p. 297 sq.); cuius rei etiam glossaria multa testimonia praebent: ut exempla dem: IV 64, 7 in nonnullis codicibus extat *senia* pro *xenia* et IV 70, 10 libri habent *exculentus* pro *esculentus*. Itaque putandum est in sermone latino a saeculis quarto et quinto, ut cognoscitur etiam ex inscriptionibus, *x* in pronuntiatione prope ad *s* accessisse.

Certe non omnia exempla e glossariis collecta idem valent. In universum dici potest vocabula, quae in lemmatis extant, vetustatis fidem maiorem habere quam quae in solis interpretamentis leguntur. Vocabula denique, quae herbas plantasque significant ex illa farragine, quae tertio corpori glossariorum volumini adnexa est, quin recentioribus temporibus debeantur, non dubitandum est.

Si perlustramus omnia exempla, quae enumeravi, plurimis (133) aliud vocabulum non praecedere apparet, neque id in exemplis e glossariis sumptis mirum est. Sunt 28 vocabula, quibus verbum consonanti terminatum anteit, contra 16, quae post verbum vocali finitum leguntur. Quorum 16 exemplorum sunt tria, quibus dubitari potest num vocabulum antecedat necne: *expulio* IV 38, 26; *expectaculo* V 82, 5; *extolida* IV 67, 48; haec enim verba cum antecedentibus non sunt arte coniungenda.

Prosthesin ante *s* impurum etiam in codicibus scriptorum vetustiorum inveniri neque a viris doctis neglectam esse iam in prima paragrapho demonstravi.

Nunc mihi liceat proferre eas scripturas, quas ex apparatu critico scriptorum nonnullorum alii ante me collegerunt et ipse collegi:

E Plauti codicibus iam Schuchardt haec exempla attulit:

Trinum v. 769 **iscit* pro *scit.* Cuius versus, quem solus habet Ambrosianus, secunda librorum pars exhibet verba *quid is iscit facere postea.* Atque eadem verba etiam in versu 766 leguntur, ubi A iterum habet *iscit.* Tamen in hoc exemplo cauto opus est, cum dittographiae suspicio accedat.

Amphitr. 406 *isto* pro *sto.* Hoc in versu legendum est *nunc sto,* ut exhibetur in deterioribus libris, cum B D E[1] exhibeant *nunc isto,* quam scripturam non intellectam mutavit B[2].

Merc. 547 †*inspatio* pro *spatio.* Ambrosianus exhibet hoc in versu verba *breve iam reliquom vitae spatiumst quin ego,* quod retinuit Goetzius. Ceteri autem libri praebent *decurso inspatio breve quod vitae reliquumst,* quam lectionem praetulit Leo. Ad id, quod agimus, utrum haec lectio an altera recta sit, nihil interest. Nam utcunque res se habet, iam Plautum scripsisse *inspatio* pro *spatio* ex hoc exemplo colligere nemo audebit, praesertim cum in codicibus non eadem extet scriptura.

His Schuchardti exemplis e Plauti libris adde haec:

Pseudol. v. 45 codices B D exhibent †*ipseudole* pro *pseudole.* Quod exemplum, quamquam differt a reliquis, tamen silentio praeterire nolui. Cf. *ipsillium* pro *psyllium* III 557, 46; 558, 64; 622, 51.

Menaech. 882 in Palatinis legitur †*expectando* pro *spectando.* Cum sedendi verbum spectandi opponatur, lectionem *expectando* apparet tolerari non posse.

Casin. 212 libri habent *est* pro *st;* cf. Mil. 985 ubi in manu scriptis extat *ast* et Terent. Phorm. 743, ubi libri praeter A praebent *est* pro *st.* Cf. GR. L. V 554, 15 (*aut silentium iniungentis, ut ist*).

Asin. 436 libri exhibent *exaerambo* pro *xerambo,* quod nonnulli in *Serambo* mutaverunt; cf. v. 438, ubi libri habent *exerambum* vel *exaerambum* vel *exerabam* 1).

Terentii exempla sunt haec:

Andr. 646 cod. Victorianus D habet †*expectavi* pro *spectavi.*

Andr. prol. 27 *spectandae an exigendae sint vobis prius* adfert Servius in Aen. II 357 *expectandae—prius.*

E Livii libris 26—30 (ed. Luchs) collegi haec:

l. XXVII 34, 6 V habet **esqualorem* pro *squalorem*

l. XXIX 4, 9 P^1 habet **etimularet* P^2 *estimularet* pro *stimularet.*

Varronis in libris de lingua latina (ed. Spengel) inveni haec:

l. VII p. 125, 5 codex F habet **exerses* pro *xerses*

l. VIII p. 178, 20 codex F habet †*expectari* pro *spectari,* quod corr. Victorius.

In Horatii libris extant haec:

Carm. IV 10, 6 ABλχ habent †*inspeculo* pro *speculo*

Epod. 5, 34 ψ habet †*expectaculo* pro *spectaculo*

Sat. II 3, 183 λ habet **instes* pro *stes*

Epist. I 2, 31 γ habet **estrepitum* pro *strepitum*

Epist. II 3, 190 B habet **exspectanda* pro *spectanda.*

E Juvenalis libris (ed. Jahn) accedunt haec:

l. IV 64 ω habet †*exspectant* pro *spectant*

l. VI 371 pω habent †*exspectatos* pro *spectatos*

l. XI 165 P habet *exspectant* pro *spectant* (in initio versus).

---

1) Quamquam dubitari potest, num re vera in *Exaerambo* nomen graecum *Σήραμβος* subsit, tamen cum litterae *s* et *x* posterioribus temporibus saepe in latino sermone confunderentur, perfacile accidere potuit, ut librarius vel nescio quis scriberet *xerambo* pro *serambo* (cf. Adelph. 416, ubi in Bembino extat *simplum* pro *xemplum* = *exemplum*) et huic vocabulo praeponeret vocalem prostheticam. Simili modo in Varr. de ling. lat. VII p. 125, 5 cod. F exhibet *exerses* pro *xerses*. Cf. de hac quaestione praef. Asin. ed. Goetz et Loewe p. XXVII. Contra Koenig (Quaestiones Plautinae Progr. Patschkau 1893) hoc nomen compositum esse e verbis *ἐξαίρω* et *ἄμβη* (= *ἄμβιξ*) atque intellectum esse eum 'qui vinaria, pocula promit' ratus formam traditam *Exaerambus* retinet (cf. Arch. I p. 304.).

In Lucani libris (ed. Hosius) de bello civili leguntur haec exempla:

l. II 289 M[1] habet **expectare* pro *spectare*
l. IV 647 C habet †*isternique* pro *sternique*
l. IV 804 C habet *expectandumque* pro *spectandumque* (in initio versus)
l. VII 791 MB habent **expectat* pro *spectat*
l. VIII 592 C habet **expectare* pro *spectare*
l. IX 832 VG habent †*expectans* pro *spectans*
l. IX 889 M[1] habet (ut videtur) *expectatorque* pro *spectatorque* (in initio versus)
l. X 247 C habet *ispiramina* pro *spiramina*
l. X 344 B[1]C habent **instruit* pro *struit.*

E Vergilii libris Ribbeckius collegit haec (Proleg. ad Verg. p. 428):

Aen. IV 576 FPγc habent **instimulat* pro *stimulat*
Georg. III 536 P habet **instridentia* pro *stridentia*
Aen. XII 796 M habet *istruis* pro *struis.*

Itaque, ut e testimoniis supra allatis apparet, haud raro prosthesis exempla in codicibus auctorum occurrunt; neque vero vocabula, quibus verbum consonanti terminatum praecedit, plura sunt quam ea quibus vocabulum in vocalem cadens praeit.

Atque etiam in inscriptionibus exempla prosthesis inveniuntur, quae multa collegerunt Schuchardt II p. 373 sq., Corssen II p. 286 sq., Seelmann p. 316 sq., Schmitz p. 63 et 87, alii.

Etsi nova exempla afferre non possum, tamen utile esse puto potiora quaedam exempla a viris doctis ex inscriptionibus collecta commemorare. Itaque testimonia prosthesis, quae contulerunt Seelmann p. 317 et Corssen II p. 286 et 287 enumerare mihi liceat atque ea, quae cui tempori adscribenda sint scimus.

iscolasticus Ann. d. Inst. R. 1863 p. 166 (s. II. p. Chr. n.)
iscripta C. I. L. VIII 2438 (a. 197 p. Chr. n.)
iscripsit d. Ross. I. Chr. u. R. 159; Or. H. 6147 (a. 363 p. Chr. n.)
εσκριπτο Marin. Pap. dipl. CXXII 82 (a. 591 p. Chr. n.)
εσπειρειτω d. Ross. I. Chr. u. R. 11 (a. 269 p. Chr. n.)
istatuam Or. 1120 (a. 375 p. Chr. n.)
super-istitem d. Ross. I. Chr. u. R. 288 (a. 380 p. Chr. n.)
Istiliconis ib. 537 (a. 405 p. Chr. n.)
Istratoni(cus) ib. 528 (a. 404 p. Chr. n.)
istudio ib. 765 (a. 454 p. Chr. n.)
escole ib. 865 (a. 480 p. Chr. n.)
iscribet ib. 535 (a. 404 p. Chr. n.)
iscript . . ib. 822 (a. 472 p. Chr. n.)
Extefaniae (pro *Stephaniae*) ib. 1172 (a. 481—534 p. Chr. n.)
explendido C. I. L. IX 259 (a. 395 p. Chr. n.)
Escortia C. I. L. X 4496 (a. 522 p. Chr. n.)

§ 4. Postquam e glossariis, e codicibus, ex inscriptionibus certis temporibus in sermone vulgari vocales *i* vel *e* vocabulis ab *s* impuro ineuntibus praepositas esse multis exemplis confirmavimus, nunc quaerendum est, num quo tempore haec pronuntiandi consuetudo atque mutatio orta sit argumentis demonstrari possit. Quam quaestionem ut solvamus, quattuor fundamenta pervestiganda sunt: testimonia veterum, testimonia et inscriptionum et codicum, linguae romanenses.

Atque quod ad testimonia veterum attinet, primus qui huius pronuntiandi mutationis etsi non diserte mentionem fecit, est, quantum sciam, Isidorus, qui anno fere sescentesimo p. Chr. n. floruit. Ille enim in orig. X 152 p. 479 (ed. Arevalus) *iscurra vocatur, quia causa escae quempiam consectatur.* Sed eadem verba sunt in glossa V 243, 30, nisi quod ibi *scurra* traditur. Unde apparet huic testimonio non plus tribuendum esse quam exemplis codicum [1]).

---

1) Huc nescio an spectet V 243, 10 *sceda carta, per solam s; h. e.* non per isc-.

Codicum, in quibus illae scripturae inveniuntur, vetustissimi sunt Vergili, qui saeculo quarto, quinto, sexto scripti sunt. Septimi saeculi est codex Pseudocyrilli. Sed plurimi libri, qui huc spectant, saeculis octavo, nono, decimo, undecimo vel posterioribus orti sunt. Quotiescunque vocabulum, cui *i* vel *e* praepositum est, pars tantum librorum praebet, non est, cur hanc esse vetustam formam putemus. Atque etiam si codices uno vel altero loco non discrepent, non refutari possit, qui censeat hanc formam ante saeculum octavum, nonum, decimum, undecimum demum in libros irrepsisse neque vero vetustam esse.

Certius fundamentum quam libri manu scripti sine dubio praebent inscriptiones. Ut ex exemplis supra collatis intellegitur, vetustissimum prosthesis testimonium extat in inscriptione anni 197 p. Chr. n.; pleraque autem exempla inveniuntur in titulis quinti et sexti saeculi.

Nunc ad linguas romanenses pergamus, ut videamus, quid ex illis de hac quam tractamus quaestione disci possit. In quibus linguis non ubique eandem observari rationem grammatici dudum exposuerunt.

In linguis ergo *francogallica* et *provinciali* vocabulis ab *s* impuro ineuntibus vocalis *e* (vel *i*, tamen haec rarissime) praeposita est. In vetustissimis quidem scriptis inveniuntur: *une spede* (Eulalia), *ta spuse* (Alexis 11[c]), *la schapla* (Boeci 207), unde veri simile videtur olim vocabulo ab *s* impuro incipienti, cum arte cum verbo praecedente in vocalem cadente coniuncta esset, vocalem non praepositam esse.

In linguis quidem *raetica* et *wallonica* eorumque Lotharingensium, qui silvae Vosegi partem ad occasum vergentem incolebant, vocalis prosthetica abiecta est, id quod linguae germanae propinquitate et auctoritate recte explicari videtur. Item quod in dialectis *waldensi* et *mentonensi* prosthesis locum non habet, Suchier linguae italicae auctoritate effectum esse putat. Atque etiam in *Dacoromanensium* lingua prosthesis exempla nulla inveniuntur,

id quod pro ex propinquitate linguae slavicae repetendum est, neque in *albana* lingua eis vocabulis, quae e latino sermone sumpta sunt, vocalis praeposita est.

In linguis *hispaniensi* et *portugalensi,* quamquam in asturica et in portugalensibus quibusdam dialectis vocalis non praeposita atque etiam in vetustis Hispanorum et Portugalensium monumentis prosthesis interdum neglecta est, tamen scriptores vocalem ubique praeposuerunt. Etiam in lingua *sarda* centrali, in qua vocabula, quae in latino sermone in consonantem cadebant, hanc non perdiderunt, vocalis *i*, etiamsi verbum praecedens vocali finitur, semper praeposita est. Itaque, si illas dialectos, in quibus prosthesin neglectam esse supra diximus, omittamus, sola relinquitur lingua *italica,* in qua prosthesis non adhibita est nisi praepositio *con* vel *in* vel *per* vel particula negativa *non* praecedat; quamquam Groeber (Zeitschrift für rom. Philol. II p. 594 sq.) certis argumentis in italico quoque sermone prioribus temporibus aeque atque in aliis linguis romanensibus prosthesin extitisse demonstravit. Articulus enim *gli,* quae forma vocali sequente effecta est, cum nusquam nisi ante verba quorum prima est littera vocalis aut *s* impurum ponatur, satis apparet futurum non fuisse, ut haec forma ante *s* impurum poni posset, nisi etiam huic consonanti olim vocalis praeivisset. Atque cum illud pronomen vocali terminetur, sequitur prosthesin in italica lingua etiam post vocales adhibitam esse. Et re vera Groeber nonnulla exempla prosthesis e libris Dantii poetae affert, in quibus vetusta forma conservata est.

Quodsi vocalis prosthetica posterioribus temporibus apparere desiit, ratio facile intellegitur: cum enim omnia fere verba, quae olim in latino sermone in consonantem cadebant, hac littera abiecta vocali terminarentur, fulcro prosthetico raro opus erat, quo factum est, ut paulatim prosthesis usus aboleretur. Contra, ut iam supra dixi, in sarda lingua centrali, in qua in extremitatibus verborum consonantes non perierunt, prosthesis facile conservari potuit.

Itaque cum prosthesin ante *s* impurum praecedente consonanti in omnibus linguis romanensibus adhibitam esse plane appareat, porro cum aliae gentes, quibuscum populi romanenses aliquid consuetudinis habebant, ut Germani, prosthesi non uterentur, fieri non potest, quin prosthesin iam in eo sermone, e quo omnes linguae romanenses profectae sunt, i. e. in latino sermone vulgari, extitisse putemus.

Qui pronuntiandi usus cum primum in inscriptionibus saeculi secundi p. Chr. n. appareat, quin iam ante hoc tempus in vulgari sermone in usu esse coeperit, dubitari non potest, praesertim cum etiam in sarda lingua extet.

Veri igitur non dissimile videtur eodem modo, quo in linguis francogallica et provinciali prosthesin olim adhibitam esse putamus, etiam in sermone latino vulgari vocalem vocabulis post vocalem collocatis non praepositam esse. Itaque in glossariis quoque eorum vocabulorum, quibus consonanti praeeunte vocalis praeposita est, maiorem esse numerum quam eorum, quae vocalis antecedit, non est, cur miremur. Ut autem vocalem praeponerent, Romani eo commoti esse videntur, quod in pronuntiando *s* impuro in initio vocabuli difficultatem quandam sentirent. Cur tamen certi potissimum temporis hominibus hae consonantes vocali non praecedente duriores esse viderentur, prioribus autem et priscis non item, rationibus et argumentis explanare non possumus: rem constare satis nobis esse debet. Itaque ut pronuntiatio facilior fieret, ante *s* impurum nascebatur vocalis sono nondum certo expressoque, quam cum illa vocali quam appellamus schwa indogermanicum comparare possimus. Diez in arte grammatica p. 241 'Romanos syllabam duriorem *e* adiecto in duas divisisse, pronuntiantes *stant* ut *es-tant*, qua re nova syllaba nata esset' dicit. Tamen hoc non tam subito neque ubique simul evenisse putabimus. Recte iam Corssen illam vocalem irrationalem, quam metiri non possimus, paulatim expressiorem et solidiorem factam esse exposuit. Itaque facile coniciemus in scribendo eius initio rationem non esse habitam; similiter in vetere catala-

nica quoque dialecto interdum *e*, etsi pronuntiatur, ut in versibus syllaba valeat, tamen non scribitur. Atque ne illud quidem mirum est, quod primum, cum vocalis prosthetica nondum certo sono pronuntiaretur, Romani dubitabant, qua littera exprimenda esset, et modo *i*, modo *e* scribebant.

Vocalis prosthetica, quae primo nusquam nisi consonanti praecedente adhibita esse videtur, paulatim per analogiam etiam vocali anteeunte apparebat. Itaque in nonnullis linguis romanensibus prosthesis mox tantopere diffusa atque usurpata est, ut vocalis *e* (vel *i*) omni *s* impuro praeponeretur.

Quae quamquam certa esse videntur, aliam tamen sententiam Schuchardt II p. 348 proposuit, quam saltem commemorare volui. Ille enim prosthesin non in lingua latina ipsa natam, sed e barbaris linguis in Romanorum sermonem irrepsisse suspicatur atque ex oriente eodem tempore quo etiam religionem christianam ad Romanos translatam esse putat aut e lingua nescio qua Africae in linguam rusticam Romanorum transisse atque ab hoc initio latius diffusam esse. Quam ad explicationem confugit ille vir doctus, cum in lingua latina huic rei similia alioqui non invenirentur. Quam tamen sententiam dudum docti abiecerunt: neque enim esse videtur, cur in lingua latina ipsa talia fieri potuisse negemus.

§ 5. Prosthesi contraria est aphaeresis, quam fieri dicimus, si vocabulis ab *isc- esc- exc- disc- ips- exp- ist- est- ext- inst-* incipientibus prima vocalis detrahitur. Sic, ut exemplis utar, *sceptor* pro *exceptor, strumentum* pro *instrumentum,* similia inveniuntur. Ut prosthesis ita etiam aphaeresis exempla et alii contulerunt et Schuchardt in libro iam supra commemorato II p. 365—384. Etiam Roensch nonnulla testimonia collegit in libro, qui 'Itala und Vulgata' inscriptus est, p. 467, item Hagenus 'Gradus ad criticen' p. 82. Atque eidem viri docti, quos iam supra de prosthesi egisse monui, aphaeresis quoque rationem habuerunt, ut Lindsay § 123, Stolz § 193, Diez p. 198 sq., Meyer-Lübke I § 615 et § 373, alii.

In glossariis quoque non pauca extant aphaeresis exempla, quae nunc enumerare mihi liceat:

a) vocalis *i* detracta est primae syllabae

sc- positum est pro *isc-*

σχαδης	pro	*ἰσχάδες* III 15, 46; cf. III 185, 7 (***schades***)
sciada [1])	„	*ἰσχιάδα* III 604, 4
* *scinos*	„	*ἰσχνός* V 175, 13
schis	„	*ἰσχύς* II 533, 14
sciaticus	„	*ischiadicus* II 574, 3
scuria	„	*ἰσχουρία* III 605, 40

sp- positum est pro *isp-*

spida	pro	*hispida* V 483, 30; 515, 34
Spania	„	*hispania* II 435, 13; cf. IV 85, 52; 87, 15; 87, 16; 87, 27; 244, 14 (*spania*); V 233, 8; 175, 25 (*spaniae*); IV 85, 55; V 108, 35 (*spanorum*); V 300, 53 (*spani*)

st- positum est pro *ist-*

stos	pro	*ἱστός* III 92, 23
stopedes	„	*ἱστόποδες* III 92, 24; cf. III 209, 58 (*stopodes*)
strionicis	„	*histrionicis* IV 175, 30; V 152, 42; cf. IV 191, 4; V 489, 28 (* *strionica*)
storia	„	*historia* IV 408, 19; V 542, 29 (ubi legitur *storia* pro *historiam*); IV 87, 4; 569, 26 (*storia* pro *historiam*); cf. V 109, 20; 208, 12 (†*storia*); IV 425, 6; 287, 34 (*storiae*); V 225, 7 (* *storiis*); V 120, 3; 225, 26 (* *storiam*); IV 86, 39 (†*storias*); IV 349, 24 (†*storiam*)
steron	„	*ὕστερον* V 100, 9

storiographus pro *historiographus* IV 287, 34; cf. IV 569, 26; V 631, 41 (***storiografus***)

---

1) In codicibus explicatur *sciada* verbo *pissada; sciada* haud scio an sit intellegendum *ἰσχιάδα*, ut opinatur Goetzius.

strionum	pro *histrionum* V 513, 9; cf. V 578, 24 (**strionum*); V 324, 62 (**striones*); V 412, 14 (***striones***); V 610, 12 (***strigio*** pro *histrio*)
**storicus*	„ *historicus* V 120, 39
stic	„ *istic* V 393, 54; 483, 57; IV 524, 7
stinc	„ *istinc* IV 286, 34; 393, 24; V 483, 58; 393, 53
sta	„ *istam* IV 85, 27; cf. V 108, 7 (*ste* pro *istae*); V 299, 53 (*starum*); IV 85, 1 (*stas*); IV 88, 50; V 81, 16; 120, 40 (†*ste*); IV 87, 26 (***hicste*** pro *hic iste*)

b) vocalis *e* detracta est primae syllabae

sc- positum est pro *esc-*

†*scariola*	pro *escariola* V 552, 51; cf. V 504, 48 (†*scarola*)
sca	„ *esca* III 187, 8
**scara*	„ *eschara* III 597, 44; 204, 34 (cod. a.); cf. III 215, 28 (*σχάραν*)
scarya	„ *escaria* III 88, 60; cf. 219, 6 = 653, 11 (**scarias*); III 185, 63 (*scaria*);
****scarium***	„ *escarium* V 641, 30
scolapii	„ *Aesculapii* (in libr. d e f a) IV 451, 14; cf. V 544, 27 (*scholapii*);

st- positum est pro *est-*

statis	pro *aestatis* IV 174, 22
**stimatio*	„ *aestimatio* IV 498, 46 (in libr. a)
**stimatorem*	„ *aestimatorem* IV 498, 48 (in libr. a)
stimantis	„ *aestimantis* IV 473, 37 (in libr. a); cf. IV 438, 31 (*stimet*); IV 473, 38; 506, 6 (*stimat* in libr. a); IV 572, 37 (*stimatur* in libr. a)
†*ster*	„ *ester* V 226, 20
στια	„ *ἑστία* III 92, 44

sc- positum est pro *exc-*

scellentes	pro *excellentes* IV 420, 18
**scutitur*	„ *excutitur* Prodr. 429
**scutere*	„ *excutere* IV 513, 1

scludite[1]) pro *excludite* IV 167, 42
sceptorea „ *exceptorea* II 592, 48; cf. IV 566, 43; V 610, 30 (***sceptoriae***);
scussores „ *excussores* V 483, 16; 515, 16
scarpo[2]) „ *excarpo* V 578, 15
sceptor „ *exceptor* V 389, 3

sp- positum est pro *exp-*

spavescit pro *expavescit* (in libr. c d) IV 87, 38
spoliavit „ *expoliavit* (in libr. a b) IV 233, 33
* *sposcit* „ *exposcit* Prodr. 429
spermentare „ *experimentare* V 499, 50
spolita „ *expolita* V 515, 40
* *speditus* „ *expeditus* IV 150, 38

st- positum est pro *ext-*

stalis pro *extalis* III 351, 54; 464, 41; 475, 8; cf. III 13, 13 (*stalis*); III 604, 12; 606, 26 (*stalem*); 605, 36 (***stalem***)
studit „ *extudit* V 484, 9; IV 394, 1

c) *in-* detractum est primae syllabae

st- positum est pro *inst-*

* *structus* pro *instructus* IV 518, 29;
strictio vel *structio* pro *instructio* IV 472, 2; cf. V 401, 12 (*structionum*)
† ***strumentum*** pro *instrumentum* II 55, 29; cf. V 323, 14; 383, 19 = 323, 13; 320, 42 (*strumentum*); V 42, 12 = 101, 1 = 155, 11 († *strumentum*); V 327, 41 (* *strumenti*)
* *staurat* „ *instaurat* V 478, 9

---

1) In codicibus *scludite* explicatur verbis *separate* vel *secernite*; tamen dubitari potest, an hoc loco *scludite* positum sit pro *secludite*; cf. V 148, 8, ubi explicatur *secludite* verbo *excludite*.

2) *scarpo* explicatur verbo *eligo*.

stentine [1]) pro *intestinae* III 176, 51 (vel *sentine* in codd.); cf. III 605, 38 (***stentinis***); III 350, 5 (***stentinae***); III 395, 10 (*stenta*)

d) *di* detractum est primae syllabae:

scus pro *discus* II 592, 45
scedo „ *discedo* V 623, 40
screpias „ *discrepas* V 483, 4; 515, 7 (***screpas***);

Si glossariorum exempla perlustramus, non cognosci posse videtur, num qua littera vocabulum praecedens terminetur vim habeat ad aphaeresin verbi sequentis efficiendam; nam numerus eorum testimoniorum, quibus vocalis antecedit, non multum differt a numero eorum, quibus consonans praeit.

Non solum praepositiones *ex in dis*, ut videmus ex exemplis *scutitur* pro *excutitur, scedo* pro *discedo, structus* pro *instructus,* sed etiam eaedem syllabae vocalesque *e* vel *i*, quamvis ad integrum vocabuli corpus pertineant, detractae sunt. Itaque exempla extant *sca* pro *esca, scus* pro *discus, storia* pro *historia, spida* pro *hispida.*

§ 6. Priusquam quomodo haec aphaeresis explicanda et intellegenda sit quaeramus, aphaeresin etiam in veterum auctorum codicibus saepe inveniri ut exemplis demonstrem, quae e nonnullis libris collegi, nunc enumerabo.

E Plautinis libris collegi haec:

Most. 106 Palatini exhibent **strenuus* pro *instrenuus*

Mil. gl. 1279 libri CD legunt *inspectatione* et cod. B *exspectatione* pro *in exspectatione* i. e. in CD scriptum est *spectatione* pro *exspectatione.*

---

1) Cf. schol. Juv. II 86 *abdomine: pinguedine aut stent in his* pro *stentinis,* quod verbum librarius non intellegens mutavit in *stent in his* (cf. W. Heraeus 'Die Sprache Petrons und die Glossen' p. 41). *Stentinae* formam recte putat Heraeus scriptam esse pro *istentinae,* quae e vocabulo *intestinae* metathesi consonantium *i* et *n* effecta sit. Alia metathesis exempla quamvis saepe dubia e glossariis contulit Schlutter (Arch. X p. 11).

Men. 94 versum bis afferens Nonius utroque loco *scaria* scripsit pro *escaria*, quae lectio in libris Plaut. extat.

Men. 205 Palatini habent *ego mi stanc*[1]) pro *ego emi istanc.*

Capt. 550 Palatini exhibent †*sputatur* pro *insputatur*, quod correxit Pylades.

Bacch. 110 Palatini habent *spectans* pro *exspectans*, quod correxit Weisius.

Bacch. 679 citat Nonius: *iam stoc dicto* pro *iam istoc dicto,* ut extat in libris Plautinis.

Poen. 550 cod. B scripsit †*staec* pro *istaec.*

Trucul. 658 Diomedes 343, 11 ita adfert: Plautus in Truculento †*stos mundulos amasios* pro *istos mundulos amasios.*

Trin. 353 cod. B habet **storum* pro *istorum.*

In Terentii libris inveni haec:

Eun. 594 cod. Victorianus D habet †*spectans* pro *exspectans*

Heaut. 630 cod. Bembinus A habet †*scitiam* pro *inscitiam*

„ 110 cod. F habet †*stuc* pro *istuc*, quod corr. F²

„ 238 „ „ „ †*stuc* „ *istuc* „ „ „

„ 251 „ „ „ **stuc* „ *istuc*

„ 346 „ A „ **stuc* „ *istuc*

Phorm. 148 In Bembino extat *spectatis* pro *exspectatis*

„ 77 cod. D exhibet *mihi staec*[2]) pro *mihi istaec*, quod corr. D²

„ 639 cod. F praebet **staec* pro *istaec*, quod corr. F²

Adelph. 416 In Bembino extant verba *sumere simplum* (= *sumere xemplum*) pro *sumere exemplum*

„ 169 citat Nonius p. 367: *nimium stuc* pro *nimium istuc*

Andr. 565 August. dialect. 10 fin. scribit †*stuc* pro *istuc*

„ 566 Nonius p. 219 habet *at stuc* pro *at istuc*

„ 782 *iocularium in malum insciens paene incidi.* Eugraphius in Phorm. I 284 '*ioculare — sciens paene incidi*' citat.

Hec. 74 cod. F habet **staec,* pro *istaec,* quod corr. F²

---

1) Tamen etiam hoc loco scriptura *stanc* facile effici potuit haplographia.

2) Tamen etiam haplographia subesse potest.

In Livii libris 26–30 occurrerunt mihi haec:

l. 26, 6, 5	cod. P	habet	_*spanorum_	pro	_Hispanorum_
„ 27, 38, 11	„ λ	„	_†spanorum_	„	_Hispanorum_
„ 27, 42, 4	„ ε	„	_*struxisset_	„	_instruxisset_
„ 28, 8, 8	„ λ	„	_*scesionem_	pro	_escensionem_
„ 28, 14, 8	„ VαβδεF	habent	_*stratosque_	pro	_instratosque_
„ 28, 14, 11	„ βϱ	praebent	_†struenda_	„	_instruenda_
„ 28, 14, 14	„ P	habet	_*spanos_	pro	_Hispanos_
„ 28, 17, 12	„ λ	„	_*hspanie_	„	_Hispaniae_
„ 28, 22, 6	„ δ	„	_†struunt_	„	_extruunt_
„ 28, 27, 9	„ S	„	_*spectata_	„	_exspectata_
„ 28, 39, 9	„ P	„	_exsperato_	„	_ex insperato_
„ 28, 44, 7	„ V	„	_†spectate_	„	_exspectate_
„ 29, 15, 2	„ HV	habent	_*spectatione_	pro	_exspectatione_
„ 29, 30, 9	„ P^1	habet	_†xercitati_	„	_exercitati_
„ 29, 35, 13	„ δ	„	_†scepto_	„	_incepto_
„ 30, 10, 5	„ SHV	habent	_superstravit_	„	_superinstravit_
„ 30, 23, 7	„ P	habet	_†spectantis_	„	_exspectantis_
„ 30, 36, 11	„ C	„	_*spectatio_	„	_exspectatio_

E Varronis de lingua latina libris collegi haec:

l. VII p. 145, 1	cod. F	habet	_scribitur_	pro	_inscribitur_
„ IX „ 229, 4	„ P	„	_scienter_	„	_inscienter_

E Vergili libris attulit Ribbeckius (proleg. ad Verg. p. 428): Aen. VI 389 cod. M^1 habet _*stinc_ pro _istinc_.

In Juvenalis libris inveni haec:

l. VI 274	codd. acdfgs	habent	_atque spectantibus_	pro	_atque exspectantibus_
„ VII 22	codd. Ps	habent	_*spectanda_	pro	_exspectanda_
„ VII 231	„ PS	„	_*storias_	„	_historias_
„ VIII 168	„ Pcs	„	_*scriptaque_	„	_inscriptaque_
„ X 37	„ dg	„	_stantem_	„	_extantem_
„ XIV 24	„ PS	„	_*scripta_	„	_inscripta_

E Lucani de bello civili libris collegi haec:

l. II	589	cod.	M[1]	habet	**sperium*	pro	*Hesperium*
„ V	266	„	B[1]	„	**speria*	„	*Hesperia*
„ V	534	„	B	„	**speriam*	„	*Hesperiam*
„ V	573	„	B	„	**speries*	„	*Hesperias*
„ IX	654	„	M[1]	„	**speriis*	„	*Hesperiis*

Exempla igitur, quae ex apparatu critico nonnullorum veterum auctorum collegi, respondent atque congruunt iis quae in glossariis inveni. Tamen separatim fortasse memoranda sunt vocabula *simplum* pro *exemplum* et *xercitati* pro *exercitati,* quia in glossariis non inveni vocabulum ab *ex* incipiens, cui prima vocalis detracta sit. Prosthesis autem ante consonantem *x* exempla extant nonnulla, quae supra commemoravi, ut *exenodochium* pro *xenodochium.*

§ 7. Nunc exoritur quaestio, quae aphaeresis vestigia in linguis romanensibus inveniantur. Quod in eisdem linguis, in quibus *s* impuro vocalem prostheticam praepositam esse vidimus, aphaeresis nulla vestigia sunt, quis est qui miretur? Sed in lingua italica, ubi omnibus fere verbis in vocalem exeuntibus vocalis prosthetica etsi non ubique tamen plerumque non apparet, aphaeresis quoque adhibita est. Qua ex re facile intellegimus rationem quandam esse inter prosthesin et aphaeresin, id quod ad hanc explicandam ansam nobis praebet.

In initiis vocabulorum syllabam *in* et *ex* in lingua latina vulgari sine dubio correptam esse, ut pro *in* et *ex* syllaba *is* vel *es* oreretur, iam supra dixi. Itaque facile fieri poterat, ut syllabae *inst-* et *ist-*, *insp-* et *isp-* similesque cum in pronuntiando tum etiam in scribendo confunderentur; cuius rei etiam in glossariis vestigia invenimus.

Itaque syllaba *ist-* pro *inst-* scripta est velut in his:

ister 1) pro *instar* (ut opinatur Ducange) II 92, 32
istaurat „ *instaurat* IV 421, 22

---

1) Hoc verbum in libris explicatur ἔϑος συνήϑεια τύπος τρόπος.

istita pro *instita* II 92, 34
istabant „ *instabant* III 63, 42

syllaba *isp-* pro *insp-* scripta est:

ispina pro *inspina* V 40, 13 = 100, 6 = 152, 5, quibus locis P habet *ispina*, G *spina*.

Neque in codicibus veterum scriptorum desunt testimonia, quibus appareat syllabas ut *isp-* et *insp-*, *ist-* et *inst-* confusas esse:

In Livii l. 27, 36, 12 cod. λ habet *inspania* pro *Hispania*, in libr. 28, 14, 8 P^2 scripsit *istratosque* pro *instratosque*;
In Terent. Adelph. 641 codd. B F^2 G P^2 praebent *instas* pro *istas*.

Quod cum ita sit, has formas atque eas, quibus cum ab *s* impuro inciperent vocalis prosthetica praeposita erat, confundi potuisse facile intellegitur. Atque cum etiam in vocali prosthetica pronuntianda dubitaretur, ut vel *i* vel *e* diceretur, fieri poterat, ut exempli causa in codicibus F et y Horat. Sat. II, 5, 88 *extiterat* pro *institerat* et in codicibus e c b Sat. II 6, 105 *instructis* pro *extructis* et Plaut. Merc. v. 259 in nonnullis libris *escendum* pro *incendo in* scriberetur. Similia nescio an sint etiam in glossariis: cf. **iscaria** pro *escaria* II 563, 20; *iscarum* pro *escarum* V 90, 12; **hestriones** pro *histriones* V 635, 10: quamquam haec etiam alio modo explicari possunt.

Itaque ubi in glossariis legimus *structus* pro *instructus*, haec scriptura explicatur eo, quod *structus* scriptum est pro *istructus*, quomodo vocabulum *instructus* tum homines pronuntiasse putandum est. Optimo igitur iure Corssen tempore quodam scripturas *is-*, *es-* et *sc-*, *sp-*, *st-* persuasum habet idem significasse, i. e. ^{i}s- vel ^{e}s-. Initia igitur vocabulorum *Hispania* et *exspectare*, ut exemplis utar, eodem modo pronuntiabantur, quo *spiritus* et *spectare*.

Quae verba inter se confusa cognosci etiam potest ex Isidori originibus, qui saepissime vocabulum ab *s* impuro in-

cipiens a vocabulo, cuius prima syllaba est *in* vel *ex* vel *e* duxit [1]). Itaque, ut exempla dem, leguntur hae etymologiae:

X 153	*iscurra* vocatur, quia causa *escae* quemlibet consectatur.
XI 1, 10	*spiritus* autem vel pro spiritali natura vel pro eo, quod *inspiret* in corpore.
XII 2, 35	*histrix* animal in Africa erinacii simile, vocatum a *stridore* spinarum, ...
XII 6, 30	*scarus* dictus eo, quod *escam* solus ruminare perhibetur: ...
XV 13, 13	*squalidus* ager quasi *excolidus* eo, quod iam a cultura exierit ...
XVI 21, 6	scoria vero purgamenta et sordes sunt, quae igne excoquuntur. Et dicta *scoria*, quia de ferro *excutitur*.
XVII 2, 3	*stercus* autem vocatum, vel quia sternitur in agris vel quod *extergi* oporteat, quicquid sordium in civitate redundat.
XVIII 2, 8	*spolia* autem a palliis, quasi *ex pallia*: victis enim detrahuntur.
XVIII 12, 2	*scutum* appellatum, eo quod a se *excutiat* telorum ictum.
XVIII 16, 1	dicta autem *spectacula* eo quod hominibus publica ibi praebeatur *inspectio*.
XX 4, 9	discus antea *iscus* vocabatur ab specie *scuti*, unde et scutella. Postea *discus* vocatus, quod *det escas*, id est, apponat.
XX 9, 10	*sporta* vel quod ex sparto fieri solet, vel quod *exportet* aliquid.

Mirum est, quod etiam vocabulis, quae a praepositione *dis* initium faciebant, prima syllaba detracta est, ut *scedo* pro *discedo* et *screpas* pro *discrepas* in glossariis sit scriptum.

---

1) Rem iam notavit W. Heraeus (Die Sprache Petrons und die Glossen p. 24).

Schuchardt II p. 375 praepositionem *dis* aequo modo atque syllabam *ex* factam esse *s* exposuit. Verumtamen si hanc sententiam sequimur, explicare non possumus, cur saepissime in lingua italica praepositionem *dis* mutata non sit; neque sic bene perspici potest, qua ratione syllaba *dis* ad litteram *s* detorta sit. Propius a vero abesse videtur si quis coniciat, significationes praepositionum *dis* et *ex* saepe confusas esse; qua de causa fieri potuit, ut praepositio *ex* pro *dis* poneretur. Atque re vera in lingua italica, ut Diez II p. 425 adnotat, saepissime vocabulis ab *s* incipientibus utrum in latino sermone praepositio *dis* an *ex* subfuerit, diiudicari non potest. Quod ad formam *scus* pro *discus* attinet, per analogiam haud scio an formata sit.

§ 8. Qui exempla supra enumerata legerit, fortasse mirabitur, quod tam multa ad *iste* pronomen spectant. E glossariis enim septendecim collegi. Neque parvus erat numerus testimoniorum, quae in Plauti Terentiique imprimis libris inveni. Quam exemplorum multitudinem qui videbit, non mirabitur, si quis coniciat hanc formam non tam oscitantia aut consuetudine librariorum effectam quam veram atque usu receptam fuisse.

Atque iam Lachmannus de hac quaestione in commentario ad Lucretium scripto ad versum 954 libri III tractans metrica quadam lege nixus formam breviorem *ste* quibusdam locis in veterum auctorum libros recipiendam esse sibi persuasit. Ille enim: *communis,* inquit, *poetarum tantum non omnium regula est, ne post vocabulum iambicum in vocalem desinens syllaba acuta ponatur nisi cum hiatu.* Atque paulo post: *maior pars poetarum post vocabula iambica nullis aliis locum concessit nisi quae aut monosyllaba essent et gravia aut hyperdissyllaba post primam syllabam acuta.* Itaque, cum in Horatii, qui alioquin illam legem observat, epist. II 2, 163 *nempe modo isto* in codicibus legatur, vir ille doctus formam *isto* in *sto* mutat. Nam etsi in Lucilii et Catulli carminibus loci quidam extent, quibus post iambicum vocabulum dissyllabon *atque* positum sit (cf. Nonius p. 26, 7 e Lucilio *tu te vide atque dissyllabon* et p. 175, 13

fimo atque sucérdis tradidit ac Catullus 12, 2 *ioco atque vino* et 101, 10 *frater ave atque vale*), tamen *isto* dissyllabon in Horatii versu totum gravari potuisse ille vir doctus verisimile esse negat. Itaque a vero propius abesse videri, si forma brevior in Horatii textum recipiatur. Lachmannum secutus est L. Mueller, qui formam *sto* in editione Vindobonensi in contextu posuit. Qualem formam ut extitisse probet Lachmannus et illa tria exempla e grammatico Nonio sumpta quae supra adnotavi et alia profert velut Verg. Aen. VI 389, ubi Mediceus habet *iam stinc;* Cic. Verr. 1, 47, 123 in Vaticano est *quem ammodum ste;* Cass. Cic. Epist. XV 19, 4 in Mediceo *utrum sta sollicito animo . . . legas;* Cic. Epist. IV 3, 2 *quid me sta res consolatur;* de or. 1, 19, 87 (apud Nonium p. 428) *quae sti rhetores;* Varr. ib. p. 448 et 536 *quam storum;* Caec. ib. p. 127 *ingenio si sto*; Pompon. ib. 4 74 *si stud nimium mirabis;* Cic. pro Tull. c. 8 *quid vobis, inquit, stic negoti immeo est.*

Siquis quaerat, quomodo forma *ste* oriri potuerit, apparet hanc fieri non potuisse, nisi posterior syllaba accentum haberet. Atque re vera apud Plautum pronomen, quod illo modo pronuntiatum esse videatur, non semel inveniri et alii dixerunt et probavit Skutsch in libro, qui inscribitur 'Plautinisches und Romanisches, Studien zur Plaut. Prosodie'. Certe posterioribus temporibus pronominum quorundam syllabam ultimam saepius acutam esse iam e veterum testimoniis intellegitur.

Extat enim apud grammaticum Pompeium locus (GL. V 248, 2 K.) hic: *Sed vide ne producas ultimam syllabam et dicas illô, quia Latini in ultima syllaba accentum non habent. Sed ne forte dicas 'quare ergo dicimus istûc'? sed illud per apocopen dicimus.* Et Marius Plotius GL. VI 451, 10 K.: [*Barbarismus fit*] *per accentum ac si dicas iste et te acuas cum is debeas.* Etiam in aliis pronominibus pronuntiandis similiter dubitatum esse cognoscitur e Servii in commentario ad Donatum verbis (GL. IV 436, 1): *plerique accentum in ultima syllaba ponunt, quando dicimus cuias; sed prave. nam nulla pars orationis est latina absque praedictis, quae*

potest in ultima accentum tenere. Quae qui reputaverit quod non pauci viri docti formam mutilatam pronominis *iste* iam in vetere sermone latino extitisse censuerunt per se non est cur miretur. Ita Hertzius in prima quidem editione Gellii formas *stum* (2, 22, 24) *stius* (3, 9) *sta* (7, 14) *starum* (18, 2, 16), quae in codicibus extant in longiores formas non permutavit. Et in Plauti versibus a Gellio 3, 3, 5 memoratis pro verbis a libris traditis *ubi iste monebat* scripsit *ubivis ste monebat* Fleckeiseno probante (Zur Kritik der altlat. Dichterfragm. bei Gellius p. 20). Fleckeisenus ipse censuit ib. p. 22 verba Plauti Trin 97 *alia huc causa* mutanda esse in *stac huc causa.* Et Ritschelius Trin. 1080 formam *staec*, quae in codicibus est tradita *ste,* retinuit. L. Mueller in Nonii contextu saepius breviorem formam posuit. Keller abhinc hos septem annos (lat. Etymologieen p. 110) Men. v. 290 scripsit *stic* pro *istic.*

Quamquam igitur exstant nonnulla argumenta, quibus effici posse videatur formam quasi mutilatam pronominis *iste* extitisse, tamen plerique viri docti formam breviorem a veteribus auctoribus usurpatam esse merito negaverunt.

Lindsay in arte grammatica p. 192 et 499 posterioribus quidem temporibus et in sermone vulgari formam breviorem extitisse cognosci dicit et e testimoniis in libris non semel inventis et e forma italica *stasera* (= *ista sera*). Etiam Stolz (historische Grammatik d. lat. Spr. § 193) formas mutilatas ab veteribus auctoribus non adhibitas, sed e sermone vulgari recentioribus temporibus exortas esse sibi persuasit. Quid quod Kuehner in grammatica linguae latinae arte I. p. 397 has formas mutilatas, cum in libris Ciceronis vix duo exempla inveniantur et pars maior ex libro a Nonio sine cura ac diligentia composito sumpta sint, manasse ex librariorum putat erroribus, qui cum tenuis vocalis i facile fieri posset ut non audiretur sine ulla difficultate explicentur?

Re vera formam *ste* posterioribus quidem temporibus extitisse fieri non posse mihi videtur ut negemus. Sed id solum agitur,

num veri simile videatur formas mutilatas iam ab antiquis auctoribus eisque multo vetustioribus quam exempla titulorum sunt usurpatas esse. Argumenta rationesque, quibus formam *ste* iam Plauti Terentiique temporibus iudicantes extitisse nituntur, suntne re vera tam evidentia? Exempla ad *iste* pronomen spectantia, quae in libris Plautinis et Terentianis insunt, uno in conspectu liceat mihi ponere.

Plaut. testimonio	Diom. *stos* Truc. 658
„	Non. *iam stoc* Bacch. 679
„	cod. B *omnia staec* Poen. 550
„	Palat. *ego mi stanc*[1]) Men. 205
„	B *nihil storum* Trin. 333
Terent. testimonio	August. *stuc* Andr. 566
„	Non. *at stuc* Andr. 566
„	„ *nimium stuc* Ad. 169
„	cod. F *ego stuc* Heaut. 110
„	cod. F *quando stuc* Heaut. 238
„	cod. F *quid stuc* Heaut. 251
„	cod. F *te staec* Phorm. 639
„	cod. F *aut staec* Hec. 74
„	cod. D *mihi staec* Phorm. 77
„	cod. A *tamen stuc* Heaut. 346

Sane concedendum est nonnullis locis, ubi brevior forma tradita est, accentum versus cadere in posteriorem syllabam pronominis neque breviore forma in textum recepta metricam versus rationem deleri, ut Andr. 566, ubi Nonius praebet *at stuc*, Heaut. 110, ubi in cod. F extat *ego stuc*, v. 238, ubi ib. *quando stuc;* Phorm. 639, ubi in F *te staec* scriptum est. Tamen ut ullo loco apud Plautum aut Terentium forma mutilata metrica ratione postuletur, tantum abest, ut in Trin. v. 333, ubi in cod. B extat *storum* metricam propter rationem illa forma

1) quamquam haec scriptura etiam haplographia effecta esse potest.

expellenda sit item ut *tamen staec* Heaut. 346. Accedit quod, ubicunque forma brevior tradita est, ea non extat nisi aut in uno libro aut in parte tantum librorum codicesque nusquam omnes consentiunt. Unus est apud Plautum locus, quo etiam Ritschelius libros secutus formam breviorem retinuit in textu, Trin. v. 1080; sed ne metrica versus ratio deleretur, ille vir doctissimus *te* in *ted* mutavit; quamquam haec sine dubio lenissima est mutatio, certe mutatio est. Ex exemplis autem, quae in glossariis inveniuntur, num hae formae iam antiquis temporibus extiterint, cognosci certe non potest. Itaque libri idoneum fundamentum, quo nixi formam mutilatam in textum recipiamus, non praebent. Quae cum ita sint, coniecturae, quibus a viris doctis formae breviores in textum illatae sunt, probari non possunt. Itaque iure Hertzius in secunda editione Gellii 2, 22, 24; 5, 11, 14; 18, 2, 16 formas integras revocavit.

Veri simile igitur esse videtur, ubi formae mutilatae in libris inveniantur, has aut esse recentiores aut, id quod aliquoties factum esse videtur, calami lapsu exortas esse.

Restat argumentum Lachmanni, qui ratione metrica nixus *sto* in Horatii textum recipere voluit. Ex hoc autem uno loco formas monosyllabas extitisse concludere vix audeam, quamquam concedendum est Romanos haec verba pronuntiare potuisse non *mod*(*o*) *isto,* sed *modo* (*i*)*sto* ita, ut pronomen quasi pro una syllaba esset et insolentia prosodiae obscuraretur.

Vita.

Natus sum Leo(poldus) Sommer Isenaci a. d. XVII Kal. Febr. anni MDCCCLXXVII. Fidei addictus sum evangelicae. Annum nonum agens in gymnasium Isenacense intravi. Maturitatis testimonium vere anni 1896 adeptus, ut studiis philologicis me darem, Jenam me contuli, ubi per quinque semestria commoratus sum. Deinde Lutetiam Parisiorum petivi, ubi per unum semestre versatus sum. Denique Jenam reversus denuo per duo semestria litterarum universitatis civis fui.